

dum experiri necesse habent. Hanc in rem eleganter *Sylvius Prax. Med. lib. 3. cap. 9. §. 15.* scribit: Si nempe mulieres gravidæ indulgeant nimium alimentis crassioris & glutinosioris substantiæ, propter quam sanguis productus similis evadat, artius secundinas utero necti, & consequenter, ut nos concludimus, lochia glutinosa & crassiora reddi, ut postea in excretionem non leve faciant negotium. Cumulatis enim in chylo particulis viscidioribus, lentis, sanguis quoque evadit similis, quò postea tum circulatio, tum ipsa retardatur & depravatur nutritio, omniumque partium læduntur actiones. Porro si duros, flatulentos imprimis amet puerpera cibos, ex leguminibus, oleraceis, fructibus horæis, quæ omnia gravidarum excedunt diætam, vitioso & flatulento inde emergente chylo, tanquam sanguinis primo rudimento, reliqua MSea flatulentis hisce inquinatur, quæ cum hæc ad omnes detruduntur partes, ut postea delatis ad uterum & vicina viscera, dolores tum in utero, tum intestinis crassis utero admodum vicinis, distendentes & inflantes excitentur. Ejusmodi eventum periculi plenum ab esumelonum, uvarum & malorum persicorum adducit *Loyse Bourgois lib. obstet. part. 2. cap. 39. & 40.* Merito itidem hic locum invenit observatio *Excell. D. Wedelii, Patroni ac Præceptoris mei quovis tempore sanctè colendi*, dum vocatus est ad puerperam nobilem dolores post partum tribus diebus Dominicis recurrentes expertam ab esu cancrorum. Quale quid & nos observavimus ante biennium, fœminam primariam puerperam dolores talismodi passam quoties usu carnis delectaretur, ut sæpè convulsivi motus subsequi viderentur.

*De Potu* eadem potest esse ratio, quatenus cerevisia non benè fermentata nec defecata, plus justò vel dulcior, vel crassior, vel ad aciditatem vergens in usum vocatur. Haud dissimile iudicium ferendum de *Vini* potu, si gravida indulserit potui vini acidioris & recrementis & reis feculentis que aliis adhuc scatentis. *Mustum* imprimis solum sufficit ex ratione dictâ ad producendas flatulentias, obstructions & humorum in corpore contentorum alterationem, quas & alias inde noxas re-